



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 9. Mendoza Legatus Romæ contra Synodi translationem reclamans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

§. IX.

Mendoza Legatus Romæ contra Synodi translationem reclamans.

Eodem tempore Mendoza Legatus ex Cæsaris jussu Senis Romam venit, dato eidem negotio, ut præsentibus summo Pontifice, Cardinalibus, ac Principumque Oratoribus eo convocatis in Patrum Senatu contra noniensium declarationem ipse quoque suam oppositionem exponeret: Igitur Mendoza Senatus aulam ingressus flexis coram Papa genibus orationem suam, quam scriptam tenebat in manibus, publice prælegit, atque a Cæsaris vigilantia, & studio in unienda Republica Christiana, & opinionum de Religione varietate divulsa exorsus ita perorat: *Notum est omnibus, quibus officiis cum Hadriano VI., Clemente VII., & ipso Paulo III. actum sit, ut ad indicendum Concilium possent adduci; cui, cum Germanicæ perduelles sese nollent submittere, Cæsar eadem pietate motus, ad obsequium armis eos adegit. Equidem huic bello Pontifex (ne causæ publicæ deesse videretur) leve ali- quod militum subsidium contulit: Vere tamen affirmandum est, solas Cæsaris vires tam grave bellum ad finem perducisse, quo cum ille occupatus distineretur, ecce bonum*

Sæc. XVI. A.C 1548. illud opus Tridenti inchoatum, perniciose transferendi Concilii machinatione interturbatur, neque veris, neque verisimilibus de causis, sed tantum ad quietem publicam interpellandam excogitatis, etiamsi Patrum pars longe melior, & sanior translationi obfisteret, & ibidem manendum existimaret, quibus certe Concilii nomen tribuendum erat, non illis, qui Bononiam se receperant, ut cunque illos Pontifex eo nomine excornet, eo quod ipsi adhæreant, ejusque voluntatem Cæsaris, Ferdinandi, & Principum Imperii precibus anteponant, susque deque habita Germanicæ salute, & errantium in viam rectam reductione, quibus Concilio Tridentino jam se submittere promptis, non aliud sperabat Cæsar, nisi quod Concilium Tridentinum remearet. Ea de re cum ipse ego tum Orator supra dictorum Principum nomine supplicasset Pontifici, data est responsio subdola, artificii referta, nulloque rationis firmamento innixa. Unde cum viderem, petitiones tum a me tanquam Oratore Cæsareo die decima quarta, & vigesima septima Decembris factas, tum etiam decima sexta Januarii die ab aliis ejusdem Majestatis procuratoribus Bononiæ exhibitas, neque hic, neque illic ullo loco, & numero esse, aperte tunc protestatus sum, migrationem Tridento, & Translationem Concilii Bononiam nullam esse, atque illegitimam, sed & contentions in Ecclesia excitare, fidem Catholicam,

licam, ipsamque Religionem in periculum adducere, Ecclesiam scandalis objicere, ejusque statum deformare. Eapropter omnia detrimenda, dissidiaque inde eventura, Pontifici sunt imputanda, cum is, etsi cum capituli periculo malis occurrere teneatur, eorum tamen auctoribus & impense faveat, & fomenta etiam adhibeat. Imperator certe cessante in officio Pontifice, omni conatu, quod sui muneris est, præstabit, uti Cæsarem, Regemque docet, secundum formam a sanctis Patribus sancitam, & de communi omnium assensu stabilitam. His dictis Orator ad Cardinales conversus hæc subjunxit; quandoquidem Pontifex paci Religionis, Unioni Germanicæ, & morum reformationi operam dare recuset, si vos ipsi itidem negligentes fueritis, perinde contra vos æque, atque contra summum Pontificem mox dicta esse intelligenda declaro. His verbis orationem suam absolvit, cum autem nemo quidquam ei reponeret, scriptum, quod in manibus tenebat, eisdem relinquens discessit.

§. X.

Responsum Pontificis ad Mendozæ orationem.

Hunc sermonem Pontifex tacitus ex-
 ceperat, evoluto autem exiguo
 temporis spatio Oratori abeunti per
 Blofium

Sæc. XVI.
 A.C. 1548.

*Pallav. l. c.
 c. 13. n. 2.
 Sleid. l. 20.
 p. 709.*